

VI.

M i s c e l l e n .

1.

Historischer Briefwechsel aus der ersten Hälfte des 18. Jahrhunderts.

(Fortschung zu den in Wigand's Archiv für G. u. A. K. Westfalen, 7. B. 4. H. gegebenen Mittheilungen.)

3. Gruppen an Meinders.

Ipsis calendis Decembribus redduntur Cl. M. literae mihi tuae, quibus, quoniam quis est, cui meae ad te commode tradi possint, statim pro eo ac debo rescribo.

Obiit proh dolor! supremum diem vir illustris atque plane divinus Godefredus Guilielmus Leibnitius, non tamen XV., ut scribis, sed XIV. Nov. hora circiter X. Illud singulare, quod sedens in lecto animam efflaverit. Jacturam vero, quam in viro incomporabili et eruditorum coriphaeo fecimus, quis est, qui non agnoscat. Mihi vero, qui viro in amoribus fui, eo gravior accidit iste casus luctuosus, prorsus ac flebilis. Testatus non decessit, ideoque ab intestato nunc succedit sororis ejus filius Loefflerus, bonarum artium magister, et apud Saxones sacerdos. Libri tamen et Leibnitiana omnia certo pretio ab herede redempta in bibliotheca

regia asservabuntur. Bibliotheca regia confecto catalogo Eccardi V. c. fidei committetur, mihi vero consignandi catalogi partes spero demandatum iri; quod quidem si factum fuerit efficiam, ne scripta viri illustris compilentur, supprimantur, vel disturbentur. Etenim (quod tibi in aurem) Cl. M. dici non potest, quantopere quidam schedis Leibnitianis inhient, ut posteaquam tantam messem in sua granaria convexerint, tandem alienis plumis possint superbire. Sed hac de re alias et tempore commodiore.

Non interim est, Cl. M. quod tam eito ab Eccardo illud ingens opus diplomaticum exspectes, is enim debebit historiae patriae contexendae vacare idque ex serio Regis jussu. In illa autem ad nostra tempora recensenda, multos annosconsumat necesse est. Illustris Leibnitii labores ad A. R. S. CIOV. pertingunt, excerpta tamen, quibus in historia ulterius prosequenda adjuvari Eccardus possit, plurima supersunt. Diplomata nonnulla historiae illustrandae inservientia jam aeri hic locorum incisa conspiciuntur; et duo historiae nostrae volumina proxime credo prodibunt, si quidem spartam suam strenue Eccardus exsequetur.

Commentationem de judicio vehmico Eccardus mitti vetat; curabo tamen describendam et dein ad te preferendam; honestae enim petitioni tuae nolim equidem ulla ratione deesse. Heri cum Leibnitiana schedia jussu anctioris senatus annotarentur, reperiebantur Leibnitii de judicio vehmico notata, per Eccardum tamen non licuit, illa oculis usurpare. Quod vero sua non Leibnitii haec observata esse assereret, mihi non patior persuaderi. Evidem honori tanti viri consulendum censeo, cupioque ut

omnia Leibnitii, quae in schedis delitescunt, ex tenebris extracta cum honore apud omnes enuntiantur.

Theologum me compellare non debuisti, Cl. M. et polyhistoris nomen merito deprecāmur. In juris prudentia vitae nostrae quasi tabernaculum colloca vimus, et fori causis aliquot annos patrocinamur. Parens comiti Waldeccensi a camera est, Avus vero magnae Britanniae Regis in dioecesi Calenbergenensi per 46 annos fuit, et eliamnum est summus praefectus, Oberamtmann.

Ceterum quae ipsi divulgavimus, sunt exigua de variis juris capitibus schediasmata, et fere puerilia, nec tanti ut commemorari apud viros doctos mereantur. Orationem nostram de successione nostri regis legitima, et dissertationem de virgine prae vidua ducenda, typis suis, at perquam vitiōse exscripsit Meierus noster. Commentatio ad L. 16. C. d. donat. ante nuptias, quam tribus abhinc annis publicae luci dedimus, non est ad manus, eurabo tamen nostra omnia, quam primum fieri com mode potest, ad te perferenda.

Bibliothecae tuae Westfalicae rationem nobis clarius paulum expone. Habemus juris observatio nes plurimas, quibus contra Batavos ICtos maxime Bynckershoeckium disputamus, atque ex antiquitate nonnulla pro ingenii modulo deducimus, eas facile patiemur subinde tuae bibliothecae inseri, si modo tua ratio instituti id patietur. Vale meque ama. Cal. Dec. 1716.

Finem scribendi feceram, cum in Eccardi commentatione de judicio vēmico quaedam contra te disputata reperio; ea vero pro summo meo in te

studio facere non possum, quin hic adscribam: verba
Cl. Eccardi:

Scio, Cl. H. A. Meinders in promissi thesauri antiquitatum Francicar. Tom. VI. institutionem Carolinam huic iudicio iterum asserere velle, sed argumenta illius infirmiora credo: certe libri, cuius editionem promittit, Scabinorum Herfordensium, das uralte Schöffenbuch der Stadt Herfordt, quem ante plures quam 500 annos conscriptum putat, tantae antiquitatis signa evidentia non habebit, quanquam seculo 13. compositum non negem. Haec Eccardus.

Existimat nempe Eccardus iudicium vemicum ab Engelberto Episcopo Coloniensi sec. 13 institutum esse, argumenta tamen tanti non visa, ut ipsi possemus adstipulari. Sed tamen illustrem Leibnitium memini in Annalibus Brunsvic. edendis institutionem Carolinam vanissimam appellasse: ideoque tibi Cl. M. omnia accuratius paulum suoque momento erunt ponderanda. Henricum de Herfordia, qui primus hujus iudicij Vemici a Carolo M. instituti meminerit, erroris arguit Eccardus. Mihi haec omnia examinare non vacat.

In antiquitate germanica Cl. M. hucusque te video desudare, et hoc quidem recte, institutoque dinoque homine germano: nos in antiquitate Romana multum temporis consumimus, quandoquidem illam ad leges explicandas judicamus necessariam. Tu Cl. M. utramque conjunge exemplo Strauchi Icti, nomen apud exterios consecuti, hujus vitam simulque Giphani a nobis habes exspectare. Non toleranda enim Binckershoeckii superbiam nostrum labores quisquiliias appellantis. Ideo-

que e germanis producere illos constituemus, quibus sive Belgarum sive Gallorum nemo anteferendus, pauci pares putandi, atque nunc plane vellem, ut in Romana jurisprudentia quid subinde te dignum emitteres, quin enim possis nullus dubito.

Iterum vale remque tuam bene age.

4. Meinders an Grupen.

Quod illustris Dominus Leibnitzius XIV. Nov. fatum obierit, de eo merito dolet universa Respublica litteraria, praesertim Germania nostra: Quia unicus vir fuit, quem aliarum Nationum viris summis et eminentibus in omnigena litteratura et eruditione potuerimus opponere. Nec mihi iam occurrit aliis in universa prope Germania nostra, qui illud litterarum praesidium in omni litteratura in se velit aut possit suscipere. Bene vero est, et universae resp. litterariae summopere gratulor, quod serenissimus atque potentissimus Britanniarum Rex, Elector et pater patriae vester illustrissimus, bibliothecam viri eminentis bono publico destinaverit, et coemerit; et quod msptos ejus libros per viros doctos conseribi et designari curavit, ne rapaces manus illos possint diripere, atque in usus suos accommodare sive divertere. Quorum catalogum ut mecum communices, etiam atque etiam te oro et rogo, vir longe humanissime.

Opus diplomaticum Cl. D. Eccardi, professoris Helmstadiensis, quem ex me humanissime salutes velim, avidissime expecto. Quia simile opus molior, nempe de re diplomatica veteris Saxoniae et vicinarum regionum, sive de primordiis et incremen-

tis Episcopatum et Ecclesiarum cathedralium saxoniarum, ubi simul ostendo pleraque diplomata, quae sub nomine Carolino passim circumferuntur, esse spuria et adulterina, aut saltem malae fidei suspecta etc.

Ubi in mentem venit, Cl. D. Meibomium Juniores in introductione ad Historiam inferioris praesertim Saxonie promisisse Tractatum de eadem materia, quam vero non edidisse, sed Msptum latere, sed imperfectum in ejus bibliotheca, ex ejus . . . intellexi. Si Cl. D. Eccardo copia exscribendi potiora et meliora fieret, plurimum me obstringeret, si ea excerpta ad me mitteret. Quod Tu in aurem insusurrare, atque meo nomine rogare velis. Sententiam meam non intelligunt, qui putant, me in Tractatu meo mspto de judiciis occultis Westfalicis, sive vemicis, Carolum M. auctorem horum judiciorum enormium et barbarorum facere. Nam tantum abest, ut putem, Carolum M. sapientissimum principem instituisse haec judicia Westfalica, quoad abusum medii aevi scilicet, ut potius contrarium ex omnibus legibus vetustis, sive Capitularibus Regum Francorum, hanc in rem allegatis, ad oculum demonstrem. Quod insipienti librum msptum statim patebit. Illud vero prae aliis doceo, et pluribus probo, Iegem illam crudelissimam Saxonum, de qua Wippo in orta Conradi Salici Imp. disertim loquitur, esse capitulationem illam primam de Partibus Saxoniae, quae in Monumentis Paderbornensibus reperitur. Adeoque judicia illa criminalia Westfalica seculo XIII. aut XIV., uti viri quidam eruditii arbitrantur, esse longe antiquiora et meliora; quae demum successu temporis in eam formam

difformem et enormem, inseitia, stupiditate et superstitione barbari aevi, medii praesertim, degenerarint. Nec omnia vitia et mala clero esse adscribenda, quae passim im Remp. Germanicam barbaris illis seculis irrepserunt. Quare miror summopere Cl. virum Dom. Eccardum scribere, quod Ego originem horum judiciorum occultorum, qualia medio aevo fuerunt, Carolo M. adscribam, cum librum meum msptum nunquam inspexerit, adeoque de tota re ferre judicium haud potuerit.

Sane illustris D. Leibnitius piae et gloriosae memoriae, in litteris ultimis ad me datis 2 do Oct. 1716, librum a se lectum ob diligentiam et omnigenam litteraturam pluribus laudat, et dignum editione censet, modo a quibusdam satis dure, ut putat, in se dictis abstineam. Quod et ipsi ultimis meis litteris responsoriis promisi; et omnia delenda et inducenda esse censui, quae famam illustris illius viri laedere aliquatenus posse videbantur. Quas litteras forte in bibliotheca ipsius reperies, si tanti est inquirere. Ad quas ut aut tu, V. C. aut ut doctissimus D. Eccardus mihi respondeat, vice ac nomine defuncti viri illustris, etiam atque etiam vos hortor et moneo. Vale et fave. Dabam Halae Westfalicorum 24. Dec. 1716.

Postscriptum. Quod ad studium Juris Romanii, praesertim criticum et philosophicum, exemplo Batavorum, et aliorum I^ctorum Germanorum, quos commemoras in litteris, me exstimules, frustra facis. Nam ego illud studium, criticum nempe et grammaticum, omnino indignum viro sapienti, et res, non verba captanti, esse judico. Turpe enim est, difficiles habere et curare nugas; et stultus est

labor ineptiarum. Ut cum Martiali vel Petronio hac in parte loquar, et ad hoc studium verba hujus vel illius applicem. Non quod studium verum et genuinum romanae jurisprudentiae, quae est ceteris in suo genere praeferenda, penitus damnum, sed quod inanes verborum, syllabarum et litterarum captationes et logomachias naturali quodam odio averser et summe detester. Nunquam enim aliquis ad solidam prudentiam, nec ad honores et dignitates emerget, qui rerum incuriosus, sola duntaxat verba, et syllabas venatur. — **Binkershoekium Batavum ICtum pseudocriticum**, inanibus verborum bullis et nugis immersum et inflatum nihil moror; et tales ICtos explodere et ridere soleo, qui totas noctes et dies desudant, utrum in textu Corporis Juris Justiniane, et, vel non, legendum vel omitendum. Quia ratio et commodum reipublicae in talibus nugis et verbis, ac litteris non versatur. Quin immo illi homines ad talia studia se applicant, qui rebus gerendis sunt prorsus inepti. Et quia verba captare et syllabas venari facilius est, quam studia realia et civilia tractare. Ego potius tibi auctor et suasor sum, ut studium illud Jurisprudentiae Romanae solidioris, cum studio jurisprudentiae veteris et novae Germaniae, nec non studio historico et politico patriae, et jure publico medii aevi conjungas; et studium illud criticum syllabarum et litterarum, vel etiam apicum juris, quod Binckershoekius tam ambitiose affectat, cum realibus litteris, et amoenioribus musis commutes.

Quare maximopere probo ac laudo studium tuum egregium, et summopere commendandum, quod in **Vitis doctorum virorum, praesertim ICtorum**

nostrorum, qui etiam humaniores litteras tractarunt et amarunt, enarrandis impendis. Et utinam brevi vitam cl. atque doct. D. Ludolphi Hugonis ederes! Quem virum ob summam et egregiam eruditionem maximopere veneror, et ejus memoriam colo et valde aestimo. Deinde suadeo, ut illustris D. Leibnitzii vitam speciminis loco subjungas. Ut vero ego quicquam in juro romano scribam, nunquam a me obtinebis, quamvis forte facile mihi esset, compilare quaedam ex infinitis ejusmodi libris juridicis, quae mundo specie eruditionis imponere possent. Nam haec talia facilia sunt, quia librorum juridicorum infinitus et prope stupendus est numerus. Qui vero historiam medii aevi et praesertim juris publici et jurisprudentiae germanicae cum iure romano conjugant, paucissimi sane reperiuntur. Nam hoc studium majores sumptus ac labores, nec non majorem diligentiam et judicium requirit. Rectissime enim B. Rhenanus in praefatione ad libros III. Rerum germanicarum, ejusmodi causam neglectus studii historico politici medii aevi insinuat, et reprehendit his verbis: «Hoc vero mirum, quod in romana antiquitate cognoscenda, et studio juris romani excollendo diligentissimi sumus; in media aut etiam vetustiori historia, quae ad nos maxime pertinet, negligenter cessamus. In causa fortassis est, quod ex luculentissimis scriptoribus illa facile cognoscatur, qui nusquam non exstant. Haec autem propter inopiam auctorum judicio colligere magis sit necesse, quam alio quovis praesidio. Quam ob rem bene mereri de studiosis putandi sunt, qui rem minime obviam non sine ingenti labore perquisitam in medium candide proferunt.»

Hucusque B. Rhenanus. Quare cum infinitae prope extant I^Ctorum romanorum scripta in omnibus nationibus, et quotidie plura prodeant, pauca vero in historia et jurisprudentia tam publica quam privata medii aevi reperiantur, te, vir Cl. et Doct. hortor ac rogo, ut amoeniores hasce musas cum studio romano conjungas, et quasi temperes. Ut vero hancce libertatem monendi et hortandi aequi bonique consulas, nec aegre feras, pro tua humanitate et nostro mutuo amore, ex te efflagito. Vale, vive feliciter, et fave.

(Fortsetzung künftig.)

2. Die Glockenthaler.

Unter den merkwürdigen und seltneren Münzen neuerer Zeit haben die sogenannten Glockenthaler, theils ihres ausgezeichneten Gepräges, theils ihrer historischen Bedeutung wegen, immer einen vorzüglichen Platz, als besondere Zierden der Münzkabinette, behauptet.

Die Veranlassung zur Prägung dieser Thaler gab im dreißigjährigen Kriege die so lange verzögerte Zurückgabe der Stadt Wolfenbüttel an das herzogliche Haus Braunschweig. Diese Stadt war nehmlich im Jahre 1625 von den Dänischen Truppen besetzt, und in Folge der bekannten Schlacht bei Lutter am Barenberge, nach vorhergegangener Belagerung, am 19. December 1627 von den Kaiserlichen unter Tilly eingenommen worden. Vergebens suchte der damals regierende Herzog Friedrich Ulrich sie aus deren Händen wieder an sich zu bringen; er starb im Jahre 1634, ohne